



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Vtrum ens rationis sit purum nihil.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SECTIO II.

Aliqua notantur.

60 Ad primum Fonseca, distinguo antecedens, si forma, cuius productio solum deest, & ad quam dantur in subiecto omnia necessaria, sit de essentia eorum, vel ex illis manet tanquam propria passio, concedo quod statim debeat subiecto, de illoque enunciari queat, nego tamen idem antecedens, quando forma cum illis ita connexa est minime, sed omnino ab extrinseco sine aliqua exhibitione illius, nec petitione ex parte subiecti conuenit, cuius generis sunt entia rationis comparatione subiectorum, quæ denominant.

61 Ad secundum concessa maiori, neganda est minor, & ad eius probationem dicimus prædicationem illam non esse formalem: sed solum fundamentalem, si quando profertur actualiter relatio profertur non obijcitur. Dixi fundamentalem, hoc est per illam solum tunc enunciari de Deo, quod potentiam suam creatiuam, ad actum reduxerit creaturis esse communicando, quod est fundamentum, vt tam creatura referatur realiter ad Deum, quam vt Deus concipiatur formaliter per rationem relatus ad creaturas.

QUESTIO III.

Vtrum ens rationis sit purum nihil.

PRIMA Sententia, asserit, ens rationis esse purum nihil, sic communiter Thomista. Probatur.

Primo, quia illud quod negat omnem entitatem, est omnino nihil: sed ens rationis negat omnem entitatem realem: ergo est omnino nihil. Maior est certa, minor sic probatur, quia illud quod opponitur, imo excludit ex se omnem entitatem realem, negat illam: sed ens rationis opponitur entitati reali, & excludit illam: ergo.

Secundo, ens rationis non est aliquid: ergo est purum nihil. Patet consequentia ex immediata oppositione inter ens & non ens, cuius proprietas, vel saltem synonymum est aliquid, vnde quod non est aliquid non est ens, & quod non est ens, est nihil: ergo si ens rationis non est aliquid, necessario est nihil. Antecedens sic probatur, quia quod aliquid est, aliquid potest operari, vel alicubi esse: sed ens rationis non potest aliquid operari, nec potest alicubi esse, sed tantum cognosci: ergo necessario dicendum est non esse aliquid.

Tertio, illud quod non est Deus, & non est productum est purum nihil: sed ens rationis non est Deus, vt de se patet, nec est productum: ergo est purum nihil. Maior est evidens, quia quod non est Deus, nec est productum nihil participat de ente vt sic immediate opposito nihilo, nec est vilo modo sub ente, vt sic: sed quod non est sub vno contradictorio necessario debet esse sub alio contradictorio propter immediatam oppositionem vnius contradictorii cum alio: ergo si ens rationis nec est productum, nec improdictum, non erit sub ente vt sic: ergo necessario debet esse sub non ente vt sic, quod est nihil: sed prædicatum superius prædicatur de inferiori: ergo est verum dicere nihil, quod est superius entis rationis de illo prædicatur, vnde erit verum dicere ens rationis est nihil.

Aduertendum est cum Herueo, quodlibet 3, questione 1, articulo 1. non ens, seu nihil dupliciter sumi posse. Primo pro eo, quod nihil ponit formale, non tamen negat omnem entitatem: sed dicitur nihil non ponendo, quia nimirum nihil ponit, imo tollit, vel potius est carentia illius quod erat in subiecto, vt v. g. Tenebræ nihil ponunt in aëre, imo tollunt, seu potius sunt non lux, & carentia illius, & licet nihil ponat, supponit tamen aliquod ens, vel connectitur cum illo connotando illud, vnde non negat omnem entitatem, quod videre est etiam in possibilitate, quæ dicitur nihil ex eo quod, cum non sit positua entitas nihil ponit. Vnde licet supponatur ante productionem, cum illa possibilitas nihil ponat, dicitur nihil, & ideo Angelus licet supponat suam possibilitatem ante sui productionem dicitur fieri ex nihilo: sed nihilominus possibilitas connectitur necessario, & connotat ens & existentiam rei, vnde non negat omnem entitatem.

Secundo sumitur nihil, pro eo, quod nihil ponendo negat omnem entitatem, quod dicitur nihil negando, quia non solum negat in se habere aliquid esse, sed etiam negat omnem connexionem, & habitudinem ad ens, & ad aliquid posituum, quomodo tenebræ non dicuntur nihil, quia non negant omnem entitatem, vel connotationem ad illam: sed solum aliquam determinatam lucem, nimirum, cui opponitur, imo etiam aliam entitatem connotat, & supponit, ad illamque habitudinem dicit, est autem manifestum discrimen inter nihil non ponendo, quod non purum, & simpliciter nihil est: sed secundum quid, & inter purum nihil, quod nihil negando. Primo, quia nihil non ponendo potest prædicari de aliquo ente posituo, & sic dicimus aër est tenebrosus, homo est possibilis, oculus est cæcus. Nihil autem negando minime potest affirmari de aliquo ente reali posituo, non enim possumus dicere homo est nihil, oculus est nihil. Secundo nihil non ponendo potest esse obiectum intellectus secundum se, quia aliquam habet entitatem, quod non potest habere nihil negando, quod nullam omnino habet entitatem, imo excludit omnem tam in se, quam in connexionem, connotationem, & habitudine ad terminum &c. Tertio aduerte hoc, vt aliquid non sit omnino, & simpliciter nihil, non est necessarium, vt dicat formaliter entitatem aliquam: sed satis est vt illam supponat, vel cum illa connectatur v. g. dicimus hominem, qui non est actu esse in potentia, hominem autem esse in potentia, neque est aliquid actu, neque est omnino nihil, quia connotat aliquid esse cui coniungatur, vt fiat vnum, formalitas unitatis in Deo non dicit entitatem, & nihilominus quia non negat omnem non est purum nihil, imo est formalitas unitatis Dei, ac per consequens formalitas Dei, quibus positus.

SECTIO III.

Nostre sententia proponitur.

6 Prima conclusio: ens rationis non est purum & simpliciter nihil, probatur.

7 Primo, quia purum, & simpliciter nihil negat tam in se, quam in connotato, siue vt subiecto, siue vt termino entitatem omnem: sed sic est quod ens rationis non negat omnem entitatem siue in se, siue in connotato: ergo ens rationis non est purum nihil. Maior est evidens, quia alias possibilitas, cæcitas & tenebræ essent omnino nihil, imo & vnitas Dei, & non daretur vnitas in Deo; nam, quod nihil est, nihil potest facere seu constituere, vt patet ex euidentissimo axioma: ergo illa formalitas non potest constituere, nec est constitutum vnitatis Dei: sed vnitas non potest esse sine constitutiuo aliquid: ergo nihil est: ergo non est vnitas, quod est hæreticum: ergo datur vnitas: ergo constitutum illius; sed tale constitutum est negatio, vt patet ex metaphysica, vbi id probatum manet: ergo negatio quæcunque licet in se non dicat entitatem, vt formalitas vnitatis, & negatio creaturæ in Deo, dum tamen connectatur cum ente nullo modo est purum nihil: ergo è contra purum nihil debet tam in se quam in connotato negare omnem entitatem.

8 Minor præcipua sic patet, quia ens rationis vniuersalitatis generis speciei tantum abest, vt negat entitatem in connotato, imo essentialiter petit, & supponit tale esse, id est, naturam realem animalis, hominis, & equi, lapidis &c. Ita vt si non essent tales entitates reales aptæ vt communicentur, non resisteret in illis relatio rationis vniuersalitatis, ex qua, & ex tali natura componitur vniuersale, & ratio evidens est, quia vniuersale saltem quoad materiale, v. g. animalitatis, est de essentia leonis: sed quod non est reale positium non potest esse prædicatum transcendente, & transcendens, vt essentia inferiorum positiuorum: ergo vniuersalitas, quæ necessario vt sic petit illam naturam, quæ de essentia est entis positiui realiter, in quo distinguitur ab ente rationis sine fundamento necessario connotat entitatem positiuam, & minimè negat in connotato entitatem, imo essentialiter vt sit supponit, & connotat, illique coniungitur, vt ex illis fiat vnum, quod amplius patet in distinctione rationis inter intellectum diuinum, & voluntatem quæ non solum non negat coniungi cum ente, & non solum non negat supponere entitatem: sed potius petit necessario infinitatem entitativam Dei, quæ ideo patitur ab intellectu creato distinctionem rationis, quia infinita entitas est, & non potest concipere illam, vt in se est: ergo ens rationis cum fundamento non negat omnem entitatem in connotato.

9 Nec in se, quia relatio rationis in suo primario conceptu, non est negatio adhuc per rationem in quo distinguitur à cæcitate chimeræ à negatione vitæ in Deo factæ per intellectum &c. Sed dicit primario positiuam rationem fictam, nam relatio de suo formalissimo conceptu, quomodocunque sit, siue realiter, siue per rationem non est negatio: sed positiuam entitas, vt patet, quia negatio est carentia, relatio non est carentia: sed

potius est ordinatio, & positium, cuius contradictorium est negatio relationis rationis, vt negatio vniuersalitatis, quæ datur in indiuidua, chimæra nimirum: ergo licet non sit ens reale, non tamen negat illud primario, vt negatio, nec expellit ex se in se omne positium, cum admittat positiuam rationem relationis: ergo non est purum nihil.

Confirmatur, illud quod aliquomodo habet de nouo esse per aliquam productionem, saltem analogicam, & impropiam, non est omnino nihil: sed ens rationis est huiusmodi: ergo non est omnino nihil. Maior est ipsa sententia aduersariorum. Minor sic probatur, illud quod aliquomodo est, habet causam aliquomodo, id est, eo modo, quo est, deducentem ipsum de non esse, ad tale esse, quomodocunque illud sit: sed entia rationis eo modo quo actu sunt aliquando non sunt, & postea sunt, eo modo, quo sunt factæ: ergo. Maior sic probatur, quia nihil deductum se de non se ad se. Minor probatur, relatio præteriti ad futurum est relatio rationis tantum, & idem est in vniuersali, quod ego hodie, & non heri finxi vniuersalitatem fingendam hodie, & est in actu, quando alterum est præteritum, vel quando actu fingo vniuersale non fictum heri: ergo ens rationis habet esse per productionem: ergo non est omnino nihil, quia omnino nihil nullo modo, nec propriè nec impropiè dicitur produci, quia quod omnino non est, omnino, & omnimodo non produci- tur: ergo aliquomodo non produci- tur, quia omnimodo non produci & aliquomodo produci sunt duæ contradictoriæ, & sic idem elset & non elset, v. g. vacuum, quod est intra cælum, quod Thomistæ omnino nihil vocant quo nec propriè, nec impropiè est productum, nec realiter, nec per rationem.

Vltimo. Purum nihil est omnimoda carentia, & negatio entis realis: sed ens rationis non est carentia à parte rei omnis entitatis, ergo ens rationis non est purum nihil. Maior sic probatur, quia in sententia aduersariorum, vacuum illud quod est supra cælum est purum nihil: sed illud vacuum est carentia à parte rei omnis entitatis: ergo purum &c. Minor sic probatur, quia vel extra, vel supra cælum est aliquid, vel non: si aliquid: ergo alius mundus, quia non elset illud aliquid huius mundi, cum omne quod pertinet ad hunc mundum sit, & contineatur intra cælum, & ab illis: ergo elset non pertinerens ad hunc mundum: ergo ad alium: sed est articulus de fide non dari alium mundum: ergo extra cælum non est aliquid verè, & realiter: ergo extra cælum à parte rei, & verè datur carentia & negatio omnis entitatis: ergo à parte rei purum nihil est carentia vera omnis entitatis. Minor est clara, quia sicut ens rationis non datur à parte rei verè, sic à parte rei non est carentia omnis entitatis. Item quia, purum nihil ab æterno fuit v. g. illud vacuum, quod nunc extra cælum est: sed ens rationis est fictum positium, & non est ab æterno, nec est extra cælum, sed obiectiue in intellectu: ergo ens rationis non est purum nihil.

SECTIO

Qu. IV. Vtrum ens rationis sit prima, &c. 17

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

- 12 **A**D primum argumentum respondetur, quod negat sine fictione concedo, cum fictione, nego, & sic nego minorem &c.
- 13 Ad probationem illius distinguo, quod opponitur immediatè, & excludit verè, & realiter, primarioque concedo, quod non verè, & realiter, & secundario per rationem, & fictionem intellectus, nego; cum autem ens rationis non neget à parte rei, sed fictitè ens reale, & non primario, sed secundario, quia relatio rationis non opponitur primario, & negat ens reale, imò habet similitudinem analogicam cum ente reali, relatione nimirum reali, quia omne ens rationis est ad similitudinem entis realis: sed quod est ad similitudinem entis realis non primario opponitur illi: ergo ens rationis, quod est huiusmodi non est purum nihil.
- 14 Ad secundum respondetur distinguendo, non est aliquid reale concedo, non est aliquid rationis, & fictum nego. Ad probationem dico, quod ens rationis, sicut est aliquid fictitum & per rationem, sic existit obiectiue, per rationem & in intellectu, & ratione, & potest operari fictitiè, & per rationem, ut quando concipio chimeram videntem, & relationem vniuersalitatis constituentem, & reddentem naturam formaliter vniuersalem.
- 15 Ad Tertium. Respondetur distinguendo secundam partem maioris, & non est productum verè à parte rei vel per intellectum, hoc est propriè, vel impropiè concedo, propriè tantum nego, purum enim nihil nec per rationem nec realiter est aliquid productum, cum autem ens rationis, licet non producat realiter, producat per rationem: ideo non est purum nihil &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ens rationis, sit prima, vel secunda intentio.

- 1 **E**c quæstio potius explicatione terminorum, quam argumentis indaganda iudicatur à Sapientibus; vnde explicando potius, quid sit intentio quid prima, quid secunda enodanda est; ad quod.
- 2 Dico primo cum Patre Valio, intentionem nihil aliud esse, quam in aliud intentionem, seu actum quo in aliud tendimus, quoniam autem tam intellectus, quam voluntas per suos actus tendunt in sua obiecta, inde fit ut intentio utrique potentie conueniat; in intellectu dupliciter lumitur intentio, primo ut significet actum intellectus, quo intelligitur, & repræsentatur obiectum, seu quo intellectus tendit in suum obiectum cognoscendo illud. Secundo, ut significet obiectum, in quod tendit, seu ad quod terminatur talis actus intellectus, ut v. g. si quis cognoscat hominem tam actus cognoscentis hominem, quam homo cognitus, dicitur esse intentio. Hinc nata est alia distinctio intentionis in formalem & obiectiuam.
- 3 Intentio formalis nihil aliud est, quam for-

I. P. Tom. I I.

malis ratio tendendi in obiectum, actus nimirum, quo tendimus representatiue in obiectum. Intentio vero obiectiua significat obiectum talis actus representatum per illum.

Dico secundo, intentio quæcunque, siue formalis, siue obiectiua est duplex, prima, & secunda. Intentio prima formalis est ille actus, quo intellectus primo intelligit aliquid, id est, ille actus, quo rem cum veritate, & adæquando se eum ea cognoscit. Secunda vero est actus ille quo intellectus cognoscit rem aliter, ac est fingendo aliquid, ut quando cognosco chimeram vniuersalem faciendo illud, cognitio practicè terminata ad ens rationis est secunda intentio formalis. Prima intentio obiectiua est id quod, ut obiectum repræsentatur in prima intentione formali, v. g. homo qui cum veritate cognoscitur à me, & quia est obiectum primæ intentionis, prima intentio obiectiua dicitur. Intentio vero obiectiua secunda est illud obiectum fictum cognitum per actum fingentem, & quia talis actus fingens dicitur secunda intentio formalis, ideo illud fictum per illam, quia est obiectiuum illius secundæ intentionis, ideo secunda intentio obiectiua dicitur, v. g. vniuersale, chimæra, tragelafus &c. Vnde quidquid conuenit rebus à parte rei sine fictione, ut in homine esse musicum, esse rationale, esse risibile, totum hoc est prima intentio obiectiua, quia terminant ut obiecta primam intentionem formalem: contra vero, omnia illa, quæ conueniunt rebus, quatenus obiectiue sunt in intellectu solum, seu quatenus solum cognoscuntur ab intellectu, v. g. esse genus, esse speciem, esse vniuersale &c. Proprie hæc omnia ad secundam intentionem obiectiuam pertinent. Differunt autem intentiones formales ab obiectiuis, primo in hoc, quod formales, tam primæ, quam secundæ sunt entia realia, & à parte rei existentia, sine eo quod fingantur, licet verum sit quod secunda formalis non existat, nisi fingendo, obiectiua autem licet primæ sint entia realia; secundæ vero non sunt talia, ut sequentibus videbimus. Secundo differunt in hoc, quod primæ intentiones, & secundæ formales sunt actus intellectus, & actiones vitales, ac per consequens accidentia vitalia; intentiones autem obiectiua non sunt actus intellectus, nec actiones vitales, ac per consequens non sunt vita actualis, sed potius obiecta actuum intellectus, quæ aliquando sunt accidentia ficta, aliquando si primæ sunt, sunt vel accidentia realia, ut quando cognosco accidens vel substantia, ut quando cognosco Deum, Angelos, & homines.

Dico tertio, non omnis secunda intentio est ens rationis. Hæc conclusio patet ex dictis, quia secunda intentio formalis, licetingat, & repræsentet fictum; ipsa autem non est ficta: sed vera entitas realis, realiter existens, quia est actus vitalis realis intellectus; sed quod existit à parte rei non est ens rationis: ergo non omnis secunda intentio est ens rationis.

Dico quarto, omnis secunda intentio obiectiua est ens rationis. Probatur, quia omnis secunda intentio obiectiua est formalissimum obiectum actus intellectus prout formaliter fingentis: ergo illud est formaliter fictum: sed ens fictum est formaliter ens rationis: ergo omnis secunda intentio obiectiua est ens rationis. Consequentia prima sic patet, quia obiectum formale ali-

cuius